Dissertatio Medica,

in diagnosin Febris Nervosæ et Typhi inquirens,

quam,

Venia Experientiss. Facult. Med. Lund.

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Med. Pract. Prof. Reg. et Ord. Fac. Med. h. t. Decan.

Pro gradu Doctoris Medicinæ

publice proponit

AUG. KJELLMAN,

Med. Licent.

Die xx Junii MDCCCXL.

h. a. et p. m. s.

LUNDÆ,

typis excudit Carolus Fr. Berling,

Universitatis Typographus,

MDCCCXL.

Es trat auch der logische Fehler ein, dass anstatt den Typhus als Species zu den Nervenfiebern als Genus zu reduciren, umgekehrt alle Nervenfieber unter dem generischen Namen Typhus vorkamen.

v. Hildenbrand.

Febris nervosæ et Typhi appellatio, a medicis passim promiscue adhibita, utriusque mali identitatis opinionem exprimere videtur; nec discrimen in aperto est; ea enim has febres intercedit adfinitas, una quasi stirpe vigentes, eaque symptomatum similitudo, ut cujus generis morbus sit, simpliciter nervosi an typhosi, haud raro non facile dixeris. Quo factum est, ut indies fere vilescere coeperit diversitatis persuasio, et singulas febres continuas cum charactere nervoso antiquo typhi nomine comprehendere, atque febrem nervosam e pathologia speciali proscribere, animus inclinaverit.

Neque tam de nomine ambigitur, quod, cum conditio interna lateat, fere arbitrarium est, quam de indole et natura harum febrium, scilicet quænam hæc sit, utrum una eademque, an diversa; inde enim medendi ratio et curatio vel maxime pendet. Qui cuncta ab inflammatione tubi intestinalis repetunt, utrumque nomen rejiciunt.

Primum in argumento est, an detur morbus, cui nomen febris nervosæ competat; alterum vero, an a Typho diversus sit.

Ideam febris nervosæ, ab aliis aliter atque aliter expressam, late patere constat, prout simplicem aut mixtum, primarium aut secundarium morbum respexeris; a statu enim nervoso ad exquisitam febrem, innumeras fere varietates et individuales modificationes occurrere videmus *). Generatim nervosam dicunt febrem, cujus signa permanentia, juxta febrilia, in perturbatione functionum systematis nervosi versantur; quæ interpretatio, præter febres, ad quas character nervosus accedit, exclusis nervorum turbis transitoriis, quæ ad alias febres accedunt ab irritatione systematis nervosi in ægris sensilioribus obortæ, ipsum quoque typhum comprehendit. Strictior vero est febris nervosæ notio, quæ in interna vitæ nerveæ, præcipue cerebri, primaria et dynamico-organica alienatione posita est, absque humorum vitio et cujusdam partis externæ alteratione. Licet, plurimorum consensu, genuina hæc febris nervosa a typho vero omnino diversa sit, in illum tamen transire potest et mutari, jubentibus rebus, in affinitatis documentum.

Realitatem et existentiam ejusmodi febris neuropathicæ alii omnino negant, singula mala ad materialem alterationem referentes; alii affirmant et a priori demonstrare student, licet rarissimam esse con-

*) Allerdings spinnt der so unendlich reiche, so complicirte und variable Mikrokosmus seine krankhaften Veränderungen in den mannigfaltigsten Abänderungen aus, und um so mehr, je grösser, vielfacher und wechselnder sein Conflict mit dem Makrokosmus ist. *Bartels*, die gesammten Nervösen Fieber.

cedant *); qui medium tenent, magis minusve puram occurrere statuunt; quæ controversia, a multo inde tempore paribus fere utrinque rationibus et auctoritate pari disputata, sub judice est, nec illam dirimere anatomia pathologica valet, quæ, licet ad excolendam et promovendam morborum cognitionem summe utilis et necessaria sit, texturæ tantum partium alterationes perscrutari potest; magnopere enim errare nobis videntur, qui actum vitalem, ãnomaliam reactionis, quam morbum dicimus, semper ex organorum texturæ alterationibus derivandum esse proponunt et postulant, cum tamen hujus reactionis eventualis sit effectus.

Duplex via, ut constat, ad morborum cognitionem excolendam ducit, altera ex signis, altera ex visis repertis; neutra sola semper satis tuta est; utramque incedere oportet, ut signa ex caussis et caussæ ex signis lustrari et explicari possint; sed processus dynamico-organicus alienatus vestigia sui raro relinquit; tunc in signis solis acquiescendum est, et cum ista adeo conspicua sunt, ut nullum dubium remaneat de sede morbi principali in ipso systemate nervoso, ejusmodi febrem nervosam nuncupare liceat.

Nam licet scientia empirica, qualis medicina est, quæ res palpabiles et sensibus obvias tractat, a conjecturis et sensibus abditis rebus,

---

*) Allerdings sind die einfacheren Fälle, wo reinere Formen dem Beobachter sich darbieten die seltensten; nichts destoweniger aber muss man diese über Alles werth halten, weil sie die Paradigmen sind, woran dann Alles Uebrige sich füglich anknüpfen lässt. *Bartels* l. c. Das ursprüngliche Nervenfieber, welchem der nervöse Character ursprünglich zukommt, ist keineswegs zu leugnen, obgleich es höchst selten vorkommt. *Raimann* Handb. der speciell. Med. Patholog. u. Therap.

quantum fieri possit, se abstinere debeat et in illis, quæ explorari possunt, acquiescere; præcipua tamen signorum ratio habenda est, et auxiliis Anatomes minime postponenda, quibus unum tantum alterumve morbi momentum perlustrari potest. Febres itaque, quarum symptomata essentialia primitivam et principalem morbi sedem esse systema nervosum indicant, eo magis, etiam repugnante anatomia pathologica, nervosas appellare conveniat, quo minores solita explorandi instrumenta in systemate nervoso investigando, sive physiologico sive pathologico respectu, successus dederunt. Neque a re alienum esse videatur, etiam ubi investigatio aliquid læsi vel mutati aperiat, præter hoc aliquid, quod in sensus non cadit, ut rem majoris momenti, respicere, inprimis in febribus nervosis. Si alteratio organica perpetuo eadem esset, primo certe loco respici deberet; sed admodum varia hæc est et specialem expositionem requirit.

Qui itaque cum febre nervosa statum morbosum intellectum velit, cujus indoli nomen respondet, morbum febrilem sibi fingat necesse est, in quo functionum systematis nervosi perturbatio non aliquid accessorium sit, sed primaria, essentialis et necessaria est conditio, vel saltem præcipuum et constans mali signum. Modus, quo systema nervosum abnormem hunc actum vitalem moderatur et luctæ particeps fit, una cum mutationibus organico-dynamicis quas subeat necesse sit, omnino latet; nihil enim natura tam alte latescere voluit, quam interna vita et vis hujus systematis, quo nihil nobilius natura animalis habet; interne, sed abscondito modo, perpetuo in functionibus administrandis sollicitatum, externe quietum et immotum apparet; interne vel vehementissime agitatum, quod phænomena credere svadent, vix ullam sensibus nostris obviam mutationem exhibet; ex quo judicari potest, quam

subtiles et insensiles, tam dynamici quam organici illi motus sint, qui interne peraguntur, in actu vitali tam normali quam alienato exercendo. Qui conjecturis rem assequi gestiunt, varia utique fingunt ad processum hunc pathologicum explicandum; sic alii energiam systematis nervosi esse excitatam vel collapsam, vel perversam; alii oppressam vel paralysi correptam, cet. perhibent.

Pathologiæ febris nervosæ inprimis inimica fuit theoria scholæ gallicæ, quæ cuncta in febribus ab inflammatione vel congestione derivare et explicare voluit, cujus placita vero explorationes, in demortuis sollicite et frequentissime institutæ, refellerunt *).

Febrem ab anatomia pathologica umquam explicari posse dubitamus; varia quidem ejus symptomata et quæ sub illa occurrunt explanabit; si phrenitis fuerit, adsunt signa phrenitidis; si diarrhoea, ulcerationes intestinorum exspectari possunt; frequenter vero horum symptomatum nullum apparet, et funere secto nihil se offert, ex quo febrem deducere possis, licet symptomatum localium explicatio obtineatur.

Funera post febrem nervosam scrutata inflammationis localis vestigia subinde exhibuerunt; quæ tamen symptomata hujus febris explanare nequeunt; pro certo itaque concludere licet, aliquid præterea in morbo contineri, quod anatomicis auxiliis et disquisitionibus nudari non potest: specifica et huic febri propria vera debilitas, specifica faciei

*) Post celebratissimum *Broussais* febre demortuorum corpora frequenter et accuratissime investigata sunt, ob theoriam ipsius, non ob detecta, quæ ante illum satis cognita fuerunt.

mutatio, lumborum dolor, linguæ tremor et universalis corporis et aspectus perturbatio, ab inflammatione locali vix derivari possunt, quæ cum vehementia febris sufficienti ratione non continentur. Moritur quoque interdum ægrotus fere ab initio morbi, antequam inflammatio se explicare potuerit; itaque inflammatione non occiditur, sed perit a collapsu systematis nervosi et exhaustis viribus. Præterea reliquus complexus symptomatum, quæ febrem nervosam comitantur, ex sola inflammatione explicari nequit, nam partem tantum morbi topica inflammatio constituit, non vero morbum totum, cujus reliquæ partes ab inflammatione non pendent. Morbi bene multi inflammationem sociam habent, qui symptomatum febris nervosæ expertes decurrunt; sed nexu caussali cum illis non tenetur et partem tantum caussarum constituere censeri potest inflammatio. Ipsa medendi ratio febris nervosæ mere inflammatoriam ejus indolem refellit; novimus scilicet, hanc febrem haud raro abrumpi et sanari, dato mox initio remedio vomitorio, vel adhibita frigida affusione; quod fieri minime posset, si febris nihil aliud esset, quam localis inflammatio vel inflammatoriæ indolis. Scarlatinam et rubeolam inflammatio comitatur, non tamquam sola horum exanthematum caussa, cujus partem tantum ingreditur, licet uterque morbus ad inflammatorios pertinet; sed præter diathesin inflammatoriam aliud elementum sibi proprium habent; organismus speciali morbosa ratione continetur, ad quam inflammatio naturaliter accedit. Errare itaque nobis videntur, et errant certe, qui membranæ tubi intestinalis inflammationem febris nervosæ unicam esse caussam sibi et aliis persvadere velint.

Cui febris nervosa et typhus diversa esse mala videantur, diversitatis rationem in discrimine status nervosi et typhosi requirat necesse est; uterque status specialiter diversam actus vitalis anomaliam inducit; ille

perturbationis systematis nervosi caussa vel effectus est; hic insuper reproductionem perdit; ille est simplex status morbosus, hic mixtus et compositus, nam in typho utraque anomalia continetur, unde non modo adfinitatem sed etiam diversitatem explicare possis; *facies non omnibus una, nec tamen diversa*, quodammodo rem exprimit; tanta enim est adfinitas, ut febris nervosa non modo in typhum mutari possit, faventibus rebus, sed hunc quoque sequi; nihilo tamen minus opposita ratione contineri videntur.

Status nervosus etiam sub maximis systematis nervosi turbis sine conspicuo processus reproductionis damno satis diu perdurare potest, cujus exempla varii morbi nervosi afferunt, et inprimis in hysteria et mentis morbis conspiciuntur. Accedente febre, quæ ex conflictu systematum principalium, nervosi et vasculosi, oritur, ratio quidem quodammodo mutatur; sed etiam sub hoc statu, cum systema vasorum in luctam trahitur, vegetationis et reproductionis negotium haud raro minus læsum comparet, unde vetus illa observatio: urina sana et æger moritur; status vero typhosus, cum febre junctus, omnem organicam reproductionem pervertit, quod calor mordax, mutationes, quæ in cute, membranis et earum secretionibus obveniunt, satis superque docent. Ipsam quoque systematis nervosi et cerebri vegetativam vim adgreditur; sic deliria graviora fiunt, vel in soporem comatosum ægrotus delabitur, et organorum superiorum sensuum reactio pervertitur vel alienatur.

Uterque morbus sua quoque signa habet; licet plurima communia. Quæ febrem nervosam præcipue sequuntur, ataxiam exprimunt, qua omnia sine ordine fiunt et nexu carent; adest morbida mobilitas, nimia totius systematis agilitas, in primis vero cerebri erethistica contentio, ut in processum

vitalem nimium influat eumque turbet; virium mox ab initio prostratio, limitato et obruto a cerebro systemate ganglioso: singula ab alienata systematis nervosi vi, qua omnis componitur et regitur processus vitalis, interpretanda.

Status typhosus sub duplici forma provenire solet, quarum altera partes solidas rigidiores, membranas sicciores et fragiles, exhibet; externa cutis calore mordaci uritur totumque corpus, turgore vitali privatum, extenuatum comparet. Sub altera vero specie solvi videtur et diffluere corpus; in pulsu et cute atonia summa percipitur; organa secretoria plus minusve paralysi capta; sudor viscidus cutem obtegit; petechiæ erumpunt majores, diffusæ; lingua humida, crasso muco obducta. Sensorium sub utraque forma fere æque correptum, functionibus turbatis et alienatis. In ultimo casu res ad putredinem inclinare solet, prævalente systemate venoso.

Febris nervosa simplex gracili insuper corporis habitu prædisponitur, quem malum hystericum, hypochondriacum sine materia et phtisicum amant; systema nervosum supra modum sensile et excitabile fit Accedente febre, per vices externa frigent et interna uruntur; functiones systematis nervosi turbantur; mutatur habitus oris, evanescit turgor vitalis; debilitas vera et symptomatum contradictio, signa constantia sunt; sub deliriis vehemens virium impetus, quem mox excipit prostratio. Quamdiu pura manet febris, numquam ad contagium venit, numquam apparet exanthema typhosum; neque ad certa stadia adscripta est febris, rariusque materialibus crisibus, sed potius dynamicis, qualia sunt animi deliquia, convulsiones et somnus, solvitur, plusque semel per vitam hominem invadere potest. — Hæc præcipua febris nervosæ genuinæ lineamenta et proprietates sunt. Sed omne, ut diximus, inconstans et mutabile est, præter virium prostrationem, perturbationem nervosam et symptomatum inconstantiam et contradictionem.

His in transitu animadversis, ad utriusque mali comparationem transeundum.